sentire bonos sui commiserescere. Hac ego spe veni ad te, ut ex tuo amico in me animo, quem mei rerumque mearum sollicitum saepe amanter prae te tulisti, aliquam moeroris mei levationem capiam. Sed et hic lusit me error, quem scriptis prius litterulis euitare potuissem. Ceterum, dum te reducem expecto, satis me Bibliotheca tua distraxit, satis et Monasterium Zircense, quamquam utrobique valde senserim te mihi defuisse. Et ita sunt res meae nunc constrictae, ut vel hac longiore mora te conveniendi desiderium vehementius mecum auferam, quam attulerim. Tu nondum compares, et ego domum iam trahor. Amicam nostram confabulationem, quam speravi, supplere debet ingratiissima mihi scriptio. Quaeris itaque, quo loco sint res meae, quibus te aequae tangi, ac me ipsum, saepe amice et scripsisti, et coram dixisti. Habe isthic tristem omnium seriem, et fac me quantocyus sentire eam tuae commiserationis dulcedinem, quam afflicto mitissimus tuus animus denegare non potest.

Hunc annum habui omnium acerbissimum. Jam satis nosti ingrata illa, quibus ob Rhetoricam Jaurinensem ab homine auarissimo indigne exagitatus sum. Mirabar Presbyteros, et Relligionis Vindices, qui cum eorum communem agebant, tuta ac salva conscientia in tam efferata erumpere potuisse. Jactabat Rhetor Violaceus se cum suis ita mihi viam stravisse in Dicasteriis, ut mihi nulla reliqua sit spes quidpiam obtinendi: descriptum me esse meis veris coloribus: hominem me esse de religione suspectum, corruptis moribus, vagum, et adeo non eruditum, ut nec Grammaticam Scholam merear. Tuli hanc criminationem tanto leuius, quanto atrocior fore et creditu difficiliorem putabam omni homini ab affectibus libero. Sed nunc fero iam aegrius, cum sentiam iniquitati in me tanta licuisse, ut rebus tam falsis et absurdis pene fides habeatur.

Narrabo interim Secularizationis negotium. Si quis, ego certe graues habui causas, cur me a *Religione liberari cupiverim, in quam inuitus attrahebar*,¹ et in primo iuventutis flore enormi vexatione pene obruebar. Reclamavi intra quinquennium. Difficultate et iniquitate tam temporum, quam locorum reprimebar. Nunc, cum tot alii, quibus Religio mirum in modum fauit, et quos sinu suo gestabat, tamen eam cumulatim deseruerunt, Dispensatione facillime impetrata: et ego, qui *vexas claustrales* iam septem decem annis foris varia fortuna vitabam, volui me penitus ab his emancipare. Nihil eorum neglexi, quae ad formalitatem pertinere putabam. Exoravi titulum mensae, obtinui Episcopum recipientem, Provincialis praescitum et consensum scripto exhibui, Romanam Dispensationem impetraui, Placetum Regium, ut primum et hoc necessarium esse intellexi, per Supplicem Libellum quaesivi. A Rege bene animatus redii. Sed illis aliter visum est, qui mihi ob Competitionem Numismaticae indignabantur. Cum reliquis, qui in Secularizatione revera clancularie sine praescitu Provincialis agebant, cum aperta vexa confundebam, quasi fugissem labores publicos et nisi Scholas docuero, ad Capellaniam compellar. Denegata praeterea testandi facultas. Quamquam hanc nec miror. Nunquam enim mihi ita fortuna favebit, ut decedens testari possim. Place-

¹ Religio itt szerzetet, rendet jelent, amelybe akarata ellen csalták el.

tum hoc, quod obtinui, crudelitas est eorum, qui Regis sancto nomine abutuntur.

Mihi ob merita mea, ipsius Regis Clementi Rescripto, et Consilii Intimato Collaudatorio, illustrior debetur statio. Semper cum laude docui, annis iam undecim. Ultra quingentos florenos mei privati aeris impendi in Scholam Delineatoriam, cum Civitas eam oppressam esse voluerit. Feci ex mente Aulae, pro publici commodo. Sum praeterea et iis dotibus praeditus, ut quidvis aliud etiam cum plausu possim tradere. Sed hostibus meis, mentium tyrannis, praeplacet me perpetuo esse vel Normalistam, vel abiectum Capellanum, utrobique, praecisa omni spe alicuius solatioli pro ingravescente senectute. Atque haec omnino fera tyrannis est, quasi nata simus mancipia, denegato omni a Publico iuvandi olim studio, cogi tamen nos omnibus viribus in vili servitio totam vitam Publici causa impendere!

Ego non poteram credere, ut omnes omnino hac feritate esse possint. Quia exturbatus sum ex Numismatica, et futuro anno scholastico multas intellexi stationes esse variandas, desendi Budam, ut me mature insinuem pro commodiore aliqua Cathedra. Quidam usque ad Primatem me protruserunt, ut peterem Exhortatoris officium in Academia Poseniensi cum annuo 500 florenorum salario. Principem porrecto Supplici Libello sensi aperte fauentem. Collaborabat in hoc tuus etiam Prayus, quem adii saepius. Ecce autem a Szerdahelyio, et eius asseclis, tonitrua, fulmina, desperatio. Saeuior, quam Balogii furor. Tonus non modo idem, sed grauior et interimens. Prorsus nihil mihi deferri posse aiebat Mercurianus in Re Litteraria, et aperte id quidem, quod homo sim, qui non possim non offendiculo esse Iuuentuti, cuius nunc integritati tantopere consultum esse cupiunt. Speciosus hic quidem titulus: Sed quomodo tantum a me malum timetur? Quia non sum veritus, versus anacreonticos scribere, multa praeterea scriptis meis intexere, quae orthodoxiae adversa sint, meque tam haec, quam illa superiora, arguant nec religione esse bona, neque integris moribus. Quia homo sum vagus, inconstans in vocatione, qui Piaristas deseruerim. *Versus inprimis mei Hungarici de Corona scripti seditiosi, insultant Austriacis, jugo seruitutis et Monarchiae assuetis*, insultant cineribus Nitzkyanis, insultant Balassae, tantae auctoritatis viro. Quia, si haec quoque abessent tam enormia, iam senesco, et Fundo litterario non possum post breue servitium oneri esse. Servitia, quae apud Normales Scholas praestiti, utut insignia, debet Civitas Jaurinensis, non Fundus Litterarius, suo praemio condecorare. Si hoc fallat, adest Episcopus, Patronus meus, Fautor, Dispensator, ille me iuuet, ille ornet. Ille Episcopus, qui Jesuitis ita est offensus, ut sibi a scomatibusne in officiosis quidem litteris modum scit ponere. Aduertis haec defensionibus meis saepe interrupta, et dilutis iniuriis novas iniurias fuisse prouocatas. Homo ferreus debuit modestia et patientia mea frangi.

Quid faciam? ubi auxilium implorem? Cedendum temporis iniquitati. Solabor me interea recte futurorum conscientia. Haec certe nihil mihi tam enorme obiicit. Adoro Deum meum in veritate et spiritu. Praesto boni Sacerdotis officia. Cuius sum patriae etiam feruidior, quam

esse deberem. Et hoc est vitium meum, quod isti nunc crimen esse volunt. Fidelis sum Regi, loquuntur Scripta, loquuntur seruitia mea. Neminem offendo. Fero iniurias. Multum lacessitus tarde provocor vel ad me defendendum. Faciet bonus Deus adhuc diem mihi illucescere, quo pateat mea innocentia, et hostium error, ne dicam malitiam.

Ex Fundo Studiorum nihil solatii spero. Nullum a Ciuitate ingrata expecto fatigiorum proemium, quae et tu vidisti magna et insignia, et tam Consilium quam ipse etiam Rex et laudauit, et proemio digna pronunciauit. Episcopi gratia, ad quem relegor, fluxa est: nunc amor, repente odium. Homo tota die, ut ille ait, furore armatus. Qui benefacta expositionibus et obiectionibus reddit acerba. Quidquid boni unquam accepi, id omne certe iam millies relui acerbis vexationibus. Homo nimia fortuna insolens afflictis insultat. Vides, quam tristi sim statione.

Anno futuro constitui Conuictores seruare, ut me debitis eximam, in quae inuolutus sum improbo meo Litteraturam Hungaricam promouendi studio, et Scholam Jaurinensem sustinendi feruore. Vtinam Balogius, et ceteri, non mihi nouos ponant obices. Omnia timeri possunt ab his, qui omnia audent.

Mercurianus ad suas partes traxit Lányium. Etiam Novákus, quem nunc Budae primum salutauit, eo fere tono loquitur. Certe mihi non fauet.

Ignosce, quod te rebus ingratis onerem, et saltem commiserescat te mei. Nolo abuti ultra etiam tua patientia, tametsi non omnia exonerari, quae mihi a villioribus etiam acciderunt. Cum tanta in me liceant crudeli fortunae, abiectissimus quisque putat et sibi ea in me licere. Vale, et me solare quanto cyus saltem amicis tuis litterulis. In tua Bibliotheca. 11 Octobris 1795.

32.

Reverendissimo Domino Praeposito Rátóthensi, Michaeli Paintner, Nicolaus Révay.

Currum tuum cum impositis vasis testaceis feliciter reuectum esse puto. Res Grimmianas altero die, cum per me commode tradi non potuerint, detuli ipse ad Domicellam Gemingianam, quae iam Sponsa est Comitis Battyáni. Apud Praepositum Majláth mandata tua executus sum fideliter. Placuit Viró iocus, tanto magis, quod Electio Passaviensis penes Capitulum sit, et seriem avorum de probato stemate requirat. Praepositus nunc Budae est, nepotem suum eo devexit. Et Szuneritsius iam se Budam contulit cum tota sua familia, priore die Jovis, 22 octobris, movit hinc divisus navi et curru. Ea erat in me humanitate, ut et ad me, hominem licet humilem et abiectum, valedictum venerit, utroque omne sondium atque operam in me iuuando liberalissime obtulerit, meque amicissime provocaverit, ut data quacunque occasione fidenter ad se recurrerem. Vtinam Virum bonum et de me praeclare sentientem Szerdahelyius non impe-

diat! Vulnera Budae mihi *ab hac bestiola* ferociter inflictá nondum incipiunt sanari. Imo horridiora metuo, quae patientiam meam superabunt, et me *ad extrema* arripienda impellent. Consilium e debitis emergendi vix si irritum non est futurum. Nullum enim Convictorem adhuc habeo, et id quidem, ut sentio, malevolorum dehortatione. Rumor est Baloghium Directoratui Jauriensi inhiare. Hunc si obtinet, tunc ille profecto, non modo Convictores omni conatu inhibiturus est, sed a Schola etiam mea Latinam Juventutem pro suo in Graphidem bruto animo omni severitate arcebit, quod fideliter fecit antea integro octennio in sua Rhetorica et Convictu. Nihil mihi reliquum est, nisi ut appensis alis Daedaleis crudeles has terras Quantocyus fugiam. Nam ab ingrata etiam Civitate, cui ex schola mea operose et sumptuose instructa et per octennium sustentata magnam laudem attuli, nec minorem, ut confido, vtilitatis probam dedi, uti cum dolore observo, ex conspiratione et studio undique impetor et affligor. Oderunt omnes ubique Episcopum meum, Capitulum, Civitas, Diocesis, Consilium, Cancellaria, et nunc ob recentem suam de Schmidtio vestro officiosam Relationem de vobis quidam plane abominantur. Quae res saltem me non feriret! *Ferit tamen*, et fere ad desperationem. Putor enim huius Episcopi nescio quam non dilectus esse cliens, quod Secularizationem meam, magis mei Mayeri interposita opera, quam animi sui inclinatione promoverit. Ut ergo ille sentiat, ego vapulo. Obiurgor crudeliter, quod mea causa iam toties pudore suffundi debeat, quod commendationes pro me factae contemnantur. Narravi tibi de Exhortatoris Officio in *Academia Poseniensi*, pro quo apud Primate[m] supplicavi. Vtinam hac in re Rauschero non fuissem obsecutus! Suasit ille, ut Episcopi mei commendationem ad hanc rem multum vtile[m] futuram expeterem. Epetii. Quid ille? Dat quidem et Commendationem, *sed etiam Dimissionem a Diocesi*, quam non petii, licet conditionatam illam, claram tamen mihi, ne illi petendis commendationibus amplius molestus esse pergam, si in eius Diocesi manere velim. Novi hominis morem et animum. Quare mihi nec Episcopus meus favet, multo minus me beatum redditurus est unquam, nec illi me ferunt, qui mihi Episcopum favere et per illum me satis beatum fore putant, sed errant, et malitiose agunt, rapti coeco impetu. Vides ergo, quam tristi et acerba sim sorte. Adsis mihi tu unicus, qui unicus me noscis, et mihi iam dudum indoles. Dimissionis meae inanitatem doleo ob insertam conditionem. Nam illa quidem ego secus uterer, si fuisset simpliciter ut Dimissio scripta ad quamcunque Diocesim. Meae sane Supplicationis iniqua est haec Interpretatio. Susinoo demisse, me pro Exhortatoris officio supplicare, peto Episcopi Commendationem ad id obtinendum necessariam ex Rauscheri mente. Et ecce orasse mihi appingitur: me Dimissionem petiisse a Diocesi. Onero te his, et fortasse abutor etiam tua bonitate. Sed quando te unicum habeo, *ad quem confugere possim*. Da hoc dolori meo solatium, fer benigne has molestias. Procura mihi in Austria Diocesim. *Desero ingratham mihi Patriam*, in qua ex errore uno in alium immerens et nec cogitans vel invitus protrudor et ingurgitor. Saluto tuam Theresiam. In habitu, exhausta omni pecuniola, questus sum, inter cetera etiam hoc viatico me destitutum esse. Vltro mihi

dedit *mutuam Schedulam Bancalem quinque florenorum*. Sperabam me reduce occasione hanc benevolentiam reddere posse. *Sed me et hoc lusit.*¹ Cupio eam exoratam esse, ut patientiam habeat, brevi rependam. Dum mihi opportunius provideas pro tua in me benignitate, solare me interim saltem tuis litterulis. Vale Jaurini. 27 Octobr. 1795.

33. I.

Reverendissimo Domino Praeposito Michaeli Paintner Nicolaus Révay.

Desperabam iam te venturum esse, et abitum meum urgebat assumendorum Convictorum sollicitudo, quam rationem unicam inivi, cum cetera mihi omnia male verterint, ut ex debitis aliquomodo emergerem. Eram praeterea vehementer perturbatus etiam Szerdahelyiana tam aperta inimicitia. Die sabbathi, pridie quam tu advenisses, me sequente die dominico iam certo abiturum, ut tum constitui concurrente etiam temporis mutatione, necessitas extremas impulit, ut penuriam meam tuae Theresiae detegerem. Obtulit illa statim *quinque florenos, quibus saltem domum remeare possim*. Doleo tibi me de hoc nihil dixisse. Sed parces temporum angustiae, parces perturbationibus meis.² Alioquum multis te oneravi querelis, diu usus sum tuo hospitio; nolui tibi et hac petitione molestus esse, e longa praesertim via reduci. Tot donis perceptis et hoc donum abste extorquere, verebarne immoderatio fit. Saepe me et eo satis torqueo, quod me ob malam fortunam meam oneri esse oporteat amicis meis. Convictorem nullum omnino obtinui. Tanto mihi omnia deterius cedunt. *Despondi iam penitus animum*. Ipsa *laus ab Academia Viennensi* mihi trita, quae me animare debuisset, occidit et perdidit. Summa est laus, sed mihi summum malum peperit. Legeris eam isthic adnexam in copia. Merui hanc laudem, merui fortunam etiam laudem benigniorem. Primus introduxi hanc Scholam Jaurinum, initio ingratham ob rei novitatem, deinde gravem etiam ob necessarios sumptus. Ne oneri essem Civitati, et Institutum hoc ne odiosius redderem, ipsas res summe necessarias, tametsi adessent Mandata Regia, minus ursi; meis propriis sumtibus malui tam Scholam sublevare, quam etiam hospitium cum indigna vexatione mihi assignatum emendare. Discipulos Vario praemio, et frequenti subsidio praesertim pauperes, humanitate item, multaque patientia attraxi, et semper copiosissimos detinui. Aliis genio indulgentibus, ipse fere necessariis me defraudans, labore improbo tam diurno, quam etiam nocturno optatum progressum tanto plausu, quantum haec schola iam saepe retulit, certis speciminibus factum fuisse probavi. Ingratus ad haec Senatus me et Scholam meam contempsit, Camerarii

¹ Még a vendégszerető házban kölcsönvett 5 frt utiköltséget sem tudta megtéríteni!

² Bizonyára szemrehányást tett neki Paintner, hogy nem tőle, hanem a gazdasszonytól kérte kölcsön azt a néhány forintot.

vexarunt, Oeconomus Civicus cum familia sua in area Scholarum, eiusque *farinae* ceteri viles homines, *Satrapae*, Satraparum uxores, *Aurigae* multa me eaque indignissima molestia onerarunt. Dum malo remedium quaererem apud Senatum suas faeces defendentem, omnia in deterius labi coeperunt, in calumnias, infamationes, et apertum contemptum. Queri locis altioribus nolui, ne liti me involverem. Positis tam conspicuis meritis sperabam omnia haec ingrata cum honore effugere posse. Scis, quae testaverim. Sed hic homines aliqui, nescio quo malo affectu abrepti, omnia mihi non modo denegare, sed me in summam etiam invidiam trahere adnitebantur. Regia Ordinatione debetur mihi tandem aliquod honorificentius praemium; sed ipse Rex impediendus est, ne benignus sit, fictis criminationibus mihi summe noxiis. Scis, quae putem. Acerbissime fero, me seditiosum proclamari. Superior Director, quia tantus sum Delineator, ab hac Schola me dimitti non vult. Gemam ergo et porro sub debitis, imo in maiora involvar, ut Scholae honorem sustineam, adempta praeterea omni etiam spe futurae alicuius accommodationis. Si hoc munus aliquando deseruero, quia Secularizatio hac conditione admissa est, exeam deinde, iam viribus factus, tot meritis clarus, ad Cooperaturam. Omnia haec, praesertim hunc annum scholasticum auspiciari volenti cum et Civica vexatio acerbior priore, mihi tot malis fatigato, tristissima nube iterum occurrissent, superata patientia extrema irrupit desperatio. Simpliciter cessavi a Schola danda. Par est enim praemium, sive doceam tam laudibiliter, sive nihil agam. Exposui Caussas Senatui. Senatus solitae suae violentiae novam addidit, ut vitet forum competens, superiorem nempe Directionem, unde malo remedium adferri potuisset, ad Episcopum confugit. Ego hoc forum iure deprecatus sum. Senatus enim abuti voluit Episcopi auctoritate, quasi flagello indignissimo, quo me postea semper feriret, quoties de foedissimis iniuriis quererem. Hanc turpem servitutem dedignatus sum. Concitatus est et Episcopus, cui occasionem eripui sese in novas tricas immiscendi: quasi non satis habeat tristium exemplorum malae proceduræ. Quaerat me Senatus suo loco; loquatur Superior Director, loquatur Szerdahelyi, et ceteri hostes, iam palam in iudicio, quae sint tanta mea crimina. Convictus ultro posco Carnificis gladium, mihi et hoc nomine exoptatissimum, ut tandem desinant tot occultae criminationes, et saturari nesciae persecutiones. Si vero is sum futurus et iudicio absoluto, qui tantis encomiis efferor, *non premar sub modio, sed collocer ad candelabrum, ut luceam cum decore.*¹ Pace mea, si Delineator esse debeo, sim loco benigniore, ubi me et rem meam perdere non cogar. Callum illud, quod mihi commendas, iam perforatum des tanto malorum acumine. Onero te. Si nequis succurrere, saltem compater. Novakio, qui me nondum novit, scribe, si lubet, hoc solum, quod de me te scribere secure posse confido: me, quod Piarista fuerim, *non tamen esse Koppium*. Sub quolibet Piarista boni hi viri, uti et Lányius, Koppium latere suspicantur, et hoc errore abducti inuo centissimum quemque premunt. Szunerics S. C. R. A. Maiestatis Consiliarius ad Exc.

¹ Minden üldöztetés közepett mily nemes önértzet!

Consilium Locumtenentiale Regium in Studiorum Commissione Assessor Referens me novit. Notum me ipsi commenda. Mriatus est patientiam meam! Vale me felicius, miseris condole. 25 Nov. 1795.

33/II.

Raab.

Diese Zeichnungsschule ist, so wie die ganze Einrichtung derselben, vortreflich; die 46 Stück eingeschickten Musterzeichnungen sind sehr schön, die Ordnung unverbesserlich, der Eifer des Lehrers unermüdet, der Nutzen unausbleiblich; und es bleibt nur der Wunsch übrig, das die Geschicklichkeit und die rastlose Bestrebung des Lehrers höher Orten möchte bemerket und diese Schule allen übrigen Nationalschulen zum Muster aufgestellt werden.

Wien, den 29. März. 1795.

Ferdinand von Hohenberg Director m. p.

Vincenz Fischer, m. p.

der P. P. Akademie Rath und Professoren der Baukunst.

Andreas Fischer, m. p.

der P. P. Akademie, Rath und Professor der Baukunst.

Praeceptum Jaurini 2 Novembris 1795. ab Inspectione Regia Quinqueecclesiensi.

34.

Reverendissimo Domino Michaëli Paintner Amico Dulcissimo, Nicolaus Révay.

Dolui vehementer sero me rescivisse, te Jaurini fuisse. Certe operam dedissem, ut te saltem videam ac salutem. Fortasse licuisset aliquid etiam de sorte mea clarius exponere, ut videas ea, quibus tam indiguae exagitar, non fuisse solum suspiciones. *Vexationes equidem Jaurinenses* praescidi uno ictu, praesertim in statione illa prorsus non amica propterea etiam: quod ad sustinendum scholae honorem ipse me meis privare imo et debitis onerare debuerim; nullum tamen vel hoc sacrificio facto solatium sperare potuerim inprimis pro ingravescente aetate. Nunc te rogo, ut mitiges vexationes meas saltem a vestro Ordine mihi intentas. Peto hoc a tuo amico in me animo. Ego ea nec svasi, nec scivi, nec impedire potuissem tametsi scivissem fieri; *quibus a Fenglero novissime offensi estis*. Praesul meus est, etiam Patronus: *omnem illi cultum debeo*. Quare vel *umbram in me Piaristicam* homines plus iusto fervidi *persequuntur*? Ego vos¹ certe sciens nunquam offendi: *imo colui*, vos mihi devincire studui. Nostri conatus meos, imo etiam iactationes, in edendis *Faludianis* Reliquiis, quae periturae erant, nisi ego ab interitu vindicasset, idque editione duplici. Satis fuerit me a Typographis delusum nullum

¹ T. i. a jezsuitákat.

operae pretium tulisse. Par est certe, ut a vobis protegar. Meminens mea opera etiam Makonis Dissertationem Physicam de Natura Fulminis Hungarice redditam typis Landererianis prodivisse. *Non te latent laudes Molnarianae, Horvathianae*: non latet plurimum propensus in me animus. Sed hi parvi sunt; indolent mihi, iuvare non possunt. At tu ex Diis maiorum gentium, mitratus, cruce insignis, facundus, amabilis, mihi amicus et optime addictus, age quaeso, ut mitiores vos sentiam tua interposita opera. Recurri pro Humanitate *Strigoniensi*, tam ad superiorem Directorem Poseniensem, quam ad ipsum etiam Consilium Locumtenentiale. Ut hoc negotium urgeam, iam Viennae excubo. Rogo te, commenda me Szuneritsio, cui notus sum: commenda tuo Somogyio Viennae. Commenda his, ut Lányium deliniant, quem et Mercurianus Arrogam et Sartorius Ferox mala opinione et mihi iniuriosa repleverunt, *Panegyrim tuo in me amori debitam nondum parare potui* ob perturbatas res meas: utinam eam in amoeno Strigoniensium collium recessu decantare valeam! Redde me mihi, tibi et Patriae imprimis. Saluto Theresiam tuam. Lisztium de Clade Mohacsensi tradidi ante abitum Concidero, ut eum promoveat data occasione Czirczium¹ tibi inde facilius transponendum. Vale quam optime, et ama me tui observandissimum, Viennae 1. Apr. 1796.

Si me tua epistola beaveris, potes eam ita ad me dirigere: Im Migazzischen Eckkeller gegenüber beim Silbernen Schiff Nro 677 in (sic) 4-ten Stock. Morabor hic ultra mensem.

35.

Suavissimo Suo Michaeli Nicolaus Multam Salutem. Gratias tibi interim ago, dum eas etiam persolvere possim cumulatus. Somogyium sensi antea etiam in me utquunque propensum: nunc vero tua opera interposita totus in me est et defendendo, et promovendo. Vtinam Lányium permoveat! Adeo virum hunc sinistra de me opinione replerunt Mercurianus et Sartorius, ut fere operam perdamus in eo reducendo. Jam me taedet rogare, et refellere. Nec multum moror Humanitatem Strigoniensem, modo ab alia vexatione liber sim. Aperte video me propterea a re litteraria tanto conatu amoveri, quia aptus sum. De industria replentur fere omnia ineptis hominibus. Ex quo principio haec ita fiant, puto, sponte tua assequeris. Male Patriae consulitur. *Sed quid ad me iam Patria*, a qua me tanto molimine et tanta iniquitate abstrahunt.

Secularizationem meam, nosti dudum, quibus causis urserim. Nihil eorum neglexi, quae huc pertinebant. Ostendi mensae titulum, docui Praescitum Provincialis, exhibui Diocesani Receptionem, recurri etiam pro Placeto Regio, primus omnium, ut primum et hoc requiri intellexi. Decisione ipsius Cancellariae eximebar a communi poena: privatorum nihilominus affectu et malevolentia causa mea cum sordibus commixta est. Indignaberis profecto, quam insigniter consulatur Rei Literariae saltem in meo exemplo. Ut cetera taceam, Schoiam Graphidis magno ardore aperui

¹ Zircz Révainak ráthóti tartózkodása alatt kedves kiránduló helye volt; a ciszterciátakat nagyrabcsülte.

primus Jaurini, et promovi pari constantia, imo auxi etiam et sustentavi meis sumtibus, docui me hoc fine annis octo profudisse amplius florenis quingentis: summas laudes ab Academia Viennensi, a Consilio locumtentiali merui: datum faventissimum mihi Rescriptum Regium: atque ego talis hic et tantus, ut iam me ipsum rideam, quomodo et quam magnifico praemio cumulor. Haec quidem tyrannis et barbaries est. In Schola Graphidis solum toleror. Meritis meis datur Cooperatura solum in Cura Animarum, eaque perpetua, etiam tunc, si serius, et novis meritis auctior et senior, viribus fractis Scholas deseruero. Lege clementissimam Secularisationis Indorsationem: *Cum dispensatus hic Expiarista Nicolaus Révay actu in educatione Juventutis qua Graphidis Professor constituatur, officio hoc ultra quoque defungi potest: si tamen subinde eidem vel alleri officio literario valediceret ad Curam Animarum pro Cooperatura exire teneatur.* Crudelitas! quod est illud alterum adhuc officium, quod supponor gesturus? et quo animo geram, quo insigni stimulo, sistat lex, me postea etiam ad cooperaturam condemnandum esse? Huic saevitiei adiectum est etiam mendacium, et regio nomine, ut *solent* malevoli *abuti regio nomine.* Nam haec praeterea sequuntur: propter id autem, quod is dispensationem hanc Romanam in suis Superioribus suis clancularie inperatam benigno Placeto Regio illico substernere neglexerit, facultate testandi destituatur. *Putidissime!* Nihil me movet negata testandi facultas, quam mihi dudum denegavit perpetua et adhaerens mihi dura egestas; at maculam mihi inustam despues, *despues mendaces regio nomine homines.* Interim quae iniquitas agitur! Ji, qui clancularie insciis Superioribus dispensationem impetrarunt, pro Placeto nunquam recurrerunt, nunquam Publico serviverunt, Privatarum Domuum interpellatione liberi sunt a Cooperatura, libereque testantur. Duo sunt recentissime absoluti Consilio Locumtentiali frustra pro more suo repugnante: Naller in Domo Györiana, et Mayer in Domo Czinderiana. Gratulor utriusque. At quod mihi innocenti, et certe bene etiam merito, eadem gratia negetur, doleo vehementer et maceror! Rososius me non audet protegere. Privatis enim literis Buda scriptis est nimium impetitus, quod duos hos iuverit aperte malos et otiosos, ut, illi solent criminari. At causa mea aequior est. Tento omnia. Rogabo Manditsium Episcopum, rogabo eius Secretarium Nitraium. Hic percurro omnia in Cancellaria et Status consilio. Si tamen nihil proficio, in his extremis extrema arripiam. Obfirmato animo nulli iniquae Ordinationi parebo, violentis extundam aequitatem. Pereo potius, quam iniqua *amplius* feram. Parce dolori. Vale. 15. Apr. 796.

36.

Reverendissimo Domino Michaeli Paintner Révaius.

Debeo hoc tuo amico in me affectui, ut recentem meam consolatiunculam adhuc in herba quantocius ad te perscribam. Duo ego nunc Viennae urgeo. Primum est, ut a vexis Secularizationi meae cum aperta iniuria adiectis liberer: alterum, ut Strigoniensem Humanitatem obtineam. De hoc secundo nulla adhuc venit Consilii Propositio. De priore vero nudius tertius intellexi

eiusdem Consilii omnino fauentem mihi Opinionem: me in ceterorum categoriam nunquam sumendum fuisse, qui in re mea insciis Superioribus clancularie nihil egerim, pro Placeto Regio primus recurrerim Publico semper summo cum ardore, et singulari cum applausu seruiuerim, ipsam adeo Altissimam Commendationem meruerim: proinde in petitione mea praesenti dignum me esse Altissima Gratia. *Nunc iam respiro aliquantulum*, nouamque spem concipio boni successus etiam in petitione mea altera. Certe Illustrissimus Episcopus Rosos, et intimus eius Amicus Illustrissimus Referendarius Somogyi, quem his diebus rediturum speramus, agent omnia: ut me tantis testimoniis laudatum honestior et commodior tandem conditio maneat, ne in explosa tam turpiter Graphide contabescar. *Poeta fortasse non contemnendus, et Hungarus ille quidem, et Latinus.* Szerdahelyius ante octiduum isthinc discessit. Cancellariam graviter offendit homo ascidus et arrogans. Tempore hoc tam difficili *non est veritus supplicare pro pingui Praepositura* Kapornokiensi. Petiit etiam Consilarii titulum. Non neglexit virus suum iterum spargere, imprimis apud Lányium. Commode et apposite me defendi illico ipsiusmet literis amicissime olim ad me scriptis anno 1792, dum adhuc *Fenglerii mei* causa non impetebat. Graue testimonium, arma praesentia. Quae ergo passio hominem nunc mutavit? Produxi eius literas in originali, et integro adhuc sigillo. Lege sit. »Admodum Rdem. et Clarissime Pater Professor! Pro Munere Literario Erudito, et Eleganti mihi nuper submisso habeo gratias humanissimas, et profiteor me eo admodum delectari et obstringi. Opto, ut possim seruire Adum Rdae Paternitati Vestrae; quod certe data opportunitate libenter facerem propterea, quod sciam ex emolumento honoreque Paternitatis Vestrae commo, dum publicum in Re Literaria nasciturum. Commendo me porro benevolentiae et amicitiae, qui certe sum et maereo semper studiis et conatibus Adum Rdi et Cimmi P. Professoris addictissimus Seruus Georgius Szerdahelyi m. p. Budae 13. Aug. 1792.«

Hactenus ille. Ego adhuc in priore meo hospitio delitesco expectans redemptionem meam. In Bischofsgasse beym silbernen Schif Nro 766 in 4-ten Stock über den Gang. Si dignaris ad me scribere, beatum me reddis. Utinam rebus esset minus angustis! rogarem te etiam pro subsidio, nam omnino anguste victito. Stipendium quotidianum est omnis meus proventus. Vale, beatus vive, et mei memor. 2. Junii. 1796.

37.

Reverendissimo Domino Praeposito Rátothensi
Michaeli Paintner,
Protectori, Patrono, Amico Dulcissimo.
Nicolaus Révay.

Gratam benefactorum tuorum memoriam me tenere tu quidem credis, etiamsi nihil scribam, neque vtar illo sesquipedali agendarum gratiarum pompa. Suspensus sortis meae euentu, et sanis anxius, cum nouerim intensos aduersariorum conatus, nihil potui scribere: ita me lentus quidam moeror occupauit. Decem tui floreni commode mihi venerunt in ipsa

necessitate: hoc saltem perscribere debueram: at ne hoc quidem libuit. Aiebas tu Szerdahelyium nihil ausurum amplius aduersum me mouere: ille vero mouit acerrime. Sed de hoc gaudeo mihi, nimiumque applaudo, et quo et in me amico animo, applaudes certe tu etiam: *frivolas hominis accusationes*, quia deprauati animi malitiam aperte spirabant, *ab ipso Excelso Consilio pro me praeclare fuisse reputatas*: quo factum est, vt Cancellaria Aulica tanto me impensius protexerit. Nunc ergo certum tandem est Altissima etiam Voluntate: me *Poetam Strigoniensem* esse. Ipse mihi redditus sum, studio naturae genioque meo admodum arridenti quasi regno meo restitutus. Adde loci amoenitatem: montium, conuallium, nemorumque dulcem recessum; iucundos rivulorum aviumque strepitus, praeterfluentem ingentem Danubium, Budae-Pestique vicinitatem, et quae nunc non vacat omnia memorare. Pennas columbae mihi nunc iam opto, vt eo quantocius conuolem. Vtinam vero auium more etiam victitare possem, saltem quinque hos menses, quibus nullum adhuc habeo prouentum. Hyemem certe nimium horreo. At cum tanta superauerim, et ista perferam. Vigilat Prouidentia, tanget amicorum corda, vivam interim horum benignitate. Cuperem ego tuam etiam Bibliothecam mihi praesto esse, saltem Poeticam. At paullo remotius disto. Numquid laetior et futurus mea causa perlecto hoc epistolio? Noui animum tuum. Hunc ego et porro mihi deuinctum esse cupio. Saluta meo nomine Rostium. Multum viro huic debeo, perpetuo meo et felici apud Rososium interpellatori. *O dulcem secessum Strigoniensem!* quae ego de vobis canam tam bene de me meaque fortuna meritis. Certe non repugnabitis. Valete. Viennae. 14. Sept. 1796.

Celeberrimus ille *Batsányi* ad Bancalem Administrationem interim Practicantis nomine cum tercentorum florenorum subsidio applicitus est, dum melior pro eo apertura enascatur in aliquo Dicasterio Austriaco. Vusetis, Capellanus olim Aulicus, ob liberos sermones maxime aduersus Maiestatem, prius beneficio priuatus est, deinde Iudicio etiam Criminali traditus. Res ingrattissima Sacerdotio. Quid vos agitis? legitisne iam militem? Austriacorum summa est de Hungaris Exspectatio. Denisii Musam ad Hungaros habe.

Bella mea Oeconomula Viennensis, quae mihi litteras obsignaturo hoc ipso momento lumen adfert, te multum reueretur. Jam non cupit ad te venire, quia taedio contabesceret, cum tu tam diu soleas domo evagari, vt priore vice fecisti. Litteras tuas aegre sexta demum septimana accipimus. Vides, quam mihi iam etiam nugari libeat. At conticeo, ne quis Mercurianus nouam criminandi segetem nanciscatur. *Facessant: qui Curios simulant et Bacchanalia viuunt.*

38.

Reuerendissimo Domino Praeposito, Michaeli Paintner,
Amico Suauissimo, Nicolaus Révay.

Sopronii apud Sororem tuam honorifico sumus prandio excepti cum Auro et Socio meo. Dolui, cum Affine tuo, Principis negotiis eo prorsus tempore grauius occupato, notitiam, tuaque commendatione aliquam

amicitiam, contrahere non potuisse. Diuulsi a Theresia tua, multum illi commendauimus, vt gratias tibi quam plurimas nostro omnium nomine ageret et haberet de liberali tam longae uectionis beneficio. Postea Rakosinum defleximus, *ab Episcopo admodum benigne ac iucunde excepti*. Auer maturabat reditum, Novákii, vt scis, rogatu, vno itidem prandio expertus ac demiratus Praesuleae hospitalitatis magnificentiam, in ipso autem habitu etiam liberalitatem non contemnendam. Laetus enim discessit venerandus senecio donatus Scheda Bancali 50 florenorum ad levandas itineris expensas. Ego cum Socio meo tres dies sum moratus, aequae praeclara cumulatæ munificentiae parte. Socii gratia deflexi Kismartonium, Neostadium, ac Badam. Viennae Denisium nostrum salutavi, tua mandata fideliter executus. Iucunda illi fuit salus a te missa, non item excusatio de Scriptoribus vestris nondum exactis. Vehementer cupiit te plus otii habere posse. Probauit tamen etiam negotia tua perquam honorifica, imprimis illa, quorum Praesidem agis in cura pupillorum. Post vnam septimanam, Socio meo in Hungariam reuerso, quod reliquum habui duarum septimanarum tempus, volui literariis laboribus maxime in Bibliotheca impendere; sed me abstraxit frequentior amicorum interpellatio, non plane ingrata, post tot imprimis animi integri graues diuexationes, quae honestam respirationem iuste exposcebant. Illud tamen tempus omnium iucundissime exegi, quod suauissimae cum Somogyio consuetudini beata me sors iuuit impendere. Isto ego Viro nihil vnquam amabilius, nil dulcius expertus sum, in tanta illa, qua eminent, dignitate; sine fastu, totus blandus, totus sincerus, mihi, rebusque meis intime addictus. Gloriatum sum de tua apud illum et postrema hac beneficentia. Sed vide Rostium, quid fuerit molitus apud Rososium pro suo egregio illo Socio, Innocentiae corruptore. Jactabat homo foemineus Virum optimum tua opera iam adeo a me abalienatum esse, vt ne nomen quidem meum audire velit. Somogyius tamen securum me reddidit, et ipse semel, iterum, ac tertio satis superque expertus sum, haec sine successu tentata fuisse. Venturi anni autumnales ferias partem magnam apud Somogyium ad Papam eius suauissima imitatione spondi me exacturum; partem reliquam agam tecum prolixius, quam hoc anno licuerit. Solus veniam, vt tibi arctius adhaerere possim. Majláthum, qualem descriebas, stupui; et dolui tam graui incommodo onustum. Rettuli querelas tuas, dolere te, quod saepe tibi tam proximus, tamen te invisere negligat. Respondit: »a' lurko fiatalabb nálamnál, ő könnyebben jöhet hozzám; négy selyem birkát választottam ki számára, ha meg látogatatt volna, szépen el hajthatta volna.« Tu nunc vide, vt rem tibi destinatam plene tuam reddas. Secure me testem prouoces, hominem illi gratissima mente deuinctum, qui etiam coram te lubens gratusque memorem eius in me beneficentiam recentissimam, qua mihi debitum 50 florenorum solenni scripto promte condonauit. Credo Virum hoc eo etiam pronius fecisse: *vt Fengleri Piaristae in Auerum Jesuitam elegantem munificentiam ipse Jesuita in me Piarista rependeret*. Hoc quidem liberalitatis certamen opto saepius. Vterque dare potest, nos vero accipere, ego inprimis, qui re adhuc satis angusta certe subsidiolis valde egeo. Sed iam Comaromiensia audiar. Nouus Director, Sigismundus

Schvartzl, Piarista, Quinqueecclesiensis viginti et duorum annorum Humanista, Vir Bonus, Tatae meus ante viginti octo annos Condicens, Munus suum egregie auspiciatus est, dicta eleganti ac graui Oratione inaugurali, ad quam audiendam conuenerunt inuitati, non pauci de vtroque Magistratu, Civico et Comitatus, reliqua item satis frequens nobilitas, aliique Viri literati. Videor mihi et ego paullo acceptior esse, quam futurum putabam. Gratulationes mihi factae sunt non modicae, homini satis celebri, cum a lucubrationibus, praesertim Hungaricis, tum a cura disciplinae, studioque promouendi progressus literarii. Legi ex oculis gaudium, cum primis parentum, non fucatum de filiorum commodo, de quo melius confidere coeperunt. Dabo certe operam, ne opinionem de me praecclare conceptam remissione aliqua ludam. Novákio non consulto scis me huc esse dispositum. Posteaquam intellexit, non tamen obseruatus est, vt ex pluribus audio, aegre ferre. Conueni cum eo Budae vltimis Octobris diebus apud Szuneritsium. Sed tu vt vales? vt currunt res tuae? Saluto Theresiam, pro sollicitudine in via mihi praestita multas refero gratias. Ama me tui amatissimum. Comaromii 3 Novembris, 1799.¹ Si ad Zircenses diuerteris, saluta meo nomine Patrem Priorem, Virum Optimum, quem me Zircii morante valde doleo domi non fuisse. Confirma consiliis tuis Fratres reliquos.

39.

Michaeli Suo Nicolaus Salutem et Felicitatem. Quam me diu et morbi impediuerunt in rescribendo, et labores, fractae meae valetudini non satis benigne iuncti. Vtinam, vt petii, in Patria tua quiescere potuissem potius! Illud certe officium lenius tulissem. Sed me ad labores placuit damnare, opinor, vt citius obruar, et ad solatium aduersationum ante tempus moriar. Vtinam tamen iis vel inuitis, et ringentibus, viam etiam post funera. Venerandum Senecionem, quem mihi tantopere commendaras, semel tantum adire potui. Ille me iam ter inuisit. Non dudum gratificabar ei Carminum meorum Libello. Vide, eo munere motus Senecio, quid postea egerit. Mitto tibi eius carmina. Sentio prouocationem hanc esse, sed ego fractus viribus modo nil possum. Reuera ita aeger et miser sum, vt me descripsit. Quae a te ad huc intacta sunt, ea ipse in ima pagina meae chartulae adnotauit. Nescio, an existant in Farragine diuersorum Carminum, quae hic tibi accludo, melius a te conseruenda, et, si ita visum fuerit, etiam edenda, si nondum essent edita. Ea ego cuidam discipulorum meorum rapui, ne margarita inter porcos periret. Describit pluribus Elegiis Bellum Borussicum. Habet etiam quasdam epistolas per occasionem intersertas. Si me mors non rapit, Tusculum tuum futuro autumno certe inuisam, tanto libentius, quod me tam

¹ 1796—1799-ig ismét megszakad levélgyűjteményünk, mely Révaynak esztergomi működésére és Kulcsárral való összeférhetlenségére vonatkozólag mélyen hallgat. Időközben tudvalevőleg áthelyezték Rév-Komáromba.

mature ipse inuites. Sed patietis me etiam Fűredinis thermis vti, quas medici iam hoc vere suadent faciendum, si per officium liceret. Dēbeo me diuidere, et recuperatis viribus etiam ad Somogyium conferre. Adhuc *Viennae* hoc ei promittere debui. Summum hoc mihi solatium est, Insignem et Illustrem hunc virum mihi bene affici. In *Gänseweydio* video nihil esse praesidii. Abbas ille de Valle¹ multa iam antea vomuit; vomit, quod verisimile est, et modo plurima. Nihil moror. Vomitu suo tanto se luculentius prodit. Quis, quid et pro quo vomit? Ille nempe Clauigeri socius. *Eb ebnek barátja*. Et hic, et ille probe vbique noti. Optimo Somogyio questus sum de minis Gänseweydii nequitia in me iactatis. Ad quae ille sic me breuiter solatus est, et confirmauit. *De árthatott-e azért?* Illo haec tempore dicta sunt; cum, quae volui, omnia obtinui. Quomodo oves tuae hyemem tulerunt? Placet mihi animus tuus in Dei voluntate acquiescens: *non tamen omnes infulati irreligiosi estis*. Pia vox, digna tiaris: fiat voluntas Dei! Et confido Dei voluntatem eum fuisse, vt tibi, rebusque tuis faueat. Prò quo et ego gratias Deo agere una tecum non desinam. Sed miror Tertinae suboluisse aliquid de tuis his ovibus, qui ad te confugerit pinguem iam Praepositum. Fastidia, credo, expertus, multo pinguiorum, quam tu sis, et Tyrnauensium, et Varadinensium Infulatorum, in Bacuntiam confugit. Quid vero Theresia tua? est ne, vt erant molimina, reuera expugnata? Res est sane lepida quinquagenarias spontulas videre. Vel aegrotus risi multum, quod vterque nostrum eodem fere tempore fideli obsequio priuandi fueramus. Nam et meam Catharinam, annos quinquaginta tres natam, quidam lanio etiam reluctantem in matrimonium ducere admodum connitebatur, Constantiam tamen mulier praestulit insignem, iam annos viginti at vnum vidua, et prius matrimonium non satis benignum experta: noluit et secundo laniari. Szentmiklosius Antecessa meus, et tuus olim Connouitius iam anno priore ad Patres migravit in Szaladinensi Comitatu, in Patria sua. *Edmundum Doslern*,² hic ob morbum officio suo liberatum, Novákus Quinqueecclesias euocavit ad supplendam interea Schwartzlii cathedram. Coelo mutato fortasse valetudinem recuperaturus est. Cum Auero notitiam me contraxisse gausus sum: quod Virum tam probum integritatis meae testem ea notitia nactus fuerim. Sed is homo lepidus abiit testem in coelo potius acturus, vbi ego Iudices alioquin benigniores habeo. Apud *Pecus illud Bakonyiense* nihil vbique profecturus erat. Sed frendat Denk cruentus Aper: dummodo non laedat. Non autem laedet, quoniam Integritati praesto est Justitia. Extorsi clauum Herculi, cum eius fere laboribus successerim tot iam vicibus. Comminuo caput, dentes effringo, quiscunque me malitiose lacessiuerit. Tam tum feror effectus, tam iniqua, et tam indigna tam saepe expertus. Et hic mihi, quod mirere, Augiae stabulum purgandum relictum est. Purgauit, Deo sint laudes, vel aegra valetudine. Te exoscu-

¹ Itt közölhetetlen kifejezés van az apát czíme gyanánt beleszöve.

² Doszlern Edmund a rend felosztását átélt benczés tanár volt; ki a rend visszaállításakor szintén visszatért és sokáig pozsonyi igazgató volt.

lor, Theresiam, si adhuc tua est, saluto. *Czirtzenses*¹ reuereor, pro hospitalitate nunc quoque gratias ago. Vale, sed firmiter, quam ego, *qui mortem iam in visceribus habeo*. Noli longam meam taciturnitatem itidem taciturnitate punire. 6^a April. 1800.

40.

Nicolaus Michaeli Suo Salutem.

Post discessum tuum concinnaui Applausum Episcopo Transilvaniae Eum tu leges apud Somogyium. Nam illi submissi, quod Virum mei amantissimum sciam lucubratiunculis meis non modice oblectari, siue Latinae illae siut, siue Hungaricae. Rogavi vero etiam editionem per Kerekesium curandam. Adiectam habes hic et alteram Elegiam, quam cum voluptate scripsi ad frequentes, easque dulcissimas, tuae amicitiae significationes, in aliquod tandem grati memorisque animi testimonium. Vtinam in ea decantanda per morbum meum felicior esse potuissem!

Sed dabo operam, vt alteram, quam lubens spondi, lubensque canam, tuis laudibus multo viuaciorem consecrem. Praeclarae tuae occupationes, et facta il lustria, quorum et ipse testis admiratorque sum, materiam mihi suppeditant amplam et iucundam. Theresia tua festo S. Annae Zirczii comparuit in nudinis, bouemque socio destitutum vendidit. Ea occasione rediui ad Secessum tuum potissimum librorum causa.² Nunc iterum Zirczicum remeo. Taedia suspensae expectationis meae, dum tu redeas, leuabo noua aliqua occupatione literaria. Vtinam aliquod mihi solatium Vienna adferas! Valde animo deiicior, quod nullae mihi adueniant literulae. *Si me fata Comaromii reliquerint, moriar certe futura hyeme, redeuntibus morbi mei incommodis, quae magnis impensis*



*Révai Miklós.
Ön keze' műve.*

hoc anno, feread incitas redactus, aegre dispuli, loci cumprimis mutatione, mihi quidem ob multas aquas iniquissimi. Aliud mihi coelum quaerendum est, sed quies quam maxime. Csapodius praeterito Domini die ad nos diuertit, sed turbata aliquantulum valetudine reditum properauit. Sequente die Veszprimum ingressus apud eum prandi in hospitium frequentia. Aderant enim, Füredino deflectentes, Junioris Csapodii Mater, Soror item, Gyömrői Coniux, huiusque Titia, deinde Szegedius Örsensis. Hunc, oblata occasione, praeclare de te loquentem cum voluptate audiui; vt proinde

¹ Zircz-et úgy látszik németesen mondták ki akkor *Czircz*nek.

² Rátóthra vonult vissza.

mitior illi esse debeas de iis, quae nescio quando, iniquius de te effu-
tiuit. Ea certe nunc retractasse videtur. Vale quam optime, quamque
incundissime, et mei, vbi opus fuerit, bene memor. Vrge quietem meam.
Vale iterum, et me porro etiam ama tui amantissimum. In Secessu tuo ¹
31. Julii, 1800.²

41.

Nicolaus Michaeli suo, Amico Suauissimo.

Die Martis hora quarta pomeridiana feliciter pervenimus Sopro-
nium. Primum erat, vt epistolam tuam Sorori traderem. Responsum
habebis, vt primum Maritus redierit, fortasse per eundem hunc Aurigam,
Subditum tuum. Hunc ego hominem tibi commendo; sobrie se gessit per
totam viam, quae ipsi dari iussi in diuersoriis, accepit vt benevolentiae
dona et cum multa gratiarum actione. Reducem propter securitatem
comitor scripto meo. Tibi pro innumeris tuis beneficiis iterum gratias
habeo innumeras. Episcopus multos et magnos habet hospites. Ego, qui
eius aulae tenorem noui, nunc me non obrudo; serius ero ad obsequia,
cum ipsi magis vacauerit a magnis vt paruos respicere possit. Con-
descendi apud meum Tóthium, qui te multum reueretur. Obruitur suis
adhuc laboribus ex officio. Theresiam saluto. Curabitur a Sorore tua, vt
calceos accipiat aptiores. Somogyius Vienna recta via properat ad suum
Comitatum. Ordinatis illic negotiis grauioribus redux breuiter carpet ruris
delicias, quibus haec tempora admodum iniqua sunt. Quantum tamen
licebit obsequar Patrono. Et tunc te fortasse iterum video. Terret me
Sopronium immani rerum omnium pretio. Diliberandum mihi est de fixa
mea sede. Quidquid statuero, non te fugiet. Ama me, et protege. Sopronii
16 Sept. 1800.

42.

Michaeli Praeposito Ratóthensi, Amico Suaissimo, Nicolaus Praepositus
*de Providentia Diuina.*³

Si non reserasses egregii Mártonfii epistolam ad me exaratam,
ne tu grauiter, et in amicitiam nostram, et in te ipsum peccasses. Nam
primum veniam inuicem dedimus ad literas quascunque, quod nulla essent
inter nos arcana. Deinde priuasses tu te ipsum voluptate illa, quam ex
iis literis te cepisse non mediocrem valde gaudeo. Et mihi credas, velim,
meam quoque voluptatem ex ea epistola dulciorem accidisse, quod eam
a te cum tanto laetitiae sensu praegustatam ad me transmiseris. Nulla

¹ Rátóthon.

² Ezen 40. számú levélhez van mellékelve 40b) jelzés alatt egy toll-
rajz, mely köré jelesünk e szavakat jegyzé: »Révai Miklós önzeze nive.« »Nagy
grammatikus, jó költő s rajzoló, de háromszor szegény.« A rajz tulsó lapjára
pedig latinul írta a következő dedicatiót: »Habe similitudinem capitis mei, iam
com(a) fictitia (paróka) ad arcenda ingruentis hyemis incommoda, modeste capil-
lati. Verba Nicolai Révai ad Paintner seipsum eidem offerentis.«

³ Tréfás gúnynyal az isteni gondviselésről czimzett prépostnak nevezi magát.

mihi euenire possunt fortunæ dona tam illustria, quæ non minus me afficiant, si non etiam amicis meis communicata aliquam excitent gratulationem. Tuo plausu amica tua gratulatione, beatiorem me sentio ex mei Mártonfii propenso in me resque meas animo; qui eius literis tanta cum dulcedine spirat, tamque luculenter emicat. Sed quo in me est affectus Mártonfius, putasne non et illum magnopere mihi gratulari de tuo in me animo, quem in Elegiola mea, tuis in me tam conspicuis meritis ob amicorum hospitium consecrata, aequè cum gaudio legit, ac probauit? Certate, quaeso in me protegendo, et animando; vt iis rebus viuam, fortiorque sim, quibus vos vtrosque multum delectari satis intelligo. Quam te amo, quam etiam disuauitati cupio, ob tuam illam de rebus meis multam sollicitudinem, vtrisque tuis literis amanter expressam. De statione Sopronii figenda initio satis fluctuabam; quod exiguae meae pensiunculæ nullam hic futuram sensissem accessionem, et tristem praemetuissem egestatem in ciuitate rerum omnium, quæ ad degendam vitam faciant, pretio ad horrorem enormi. Jam fere abiturus eram, sed Tothii me sollicitudo retinuit, qui mihi praedare prouidit de auxiliariis vitæ subsidiis. Eius opera duos obtinui conuictores, Sigismundi Horváth, et Comitis Ignatii Festetits filiolos. Hi victum, quem dare debeo, et inspiciendæ curam, satis large remunerantur: singuli in aere parato tercentis florenis. Ea, quæ in naturalibus promiserunt, praesertim Horváthius, centum florenos facile superabunt. Rependent praeterea etiam Institutionem in Arte Delineatoria. Haec computata florenos fere octingentos efficiunt. Hospitium quoque commodum mihi obtigit, et, quod multum miror, satis leui pretio, florenorum tantum sexaginta, in domo Szluhaiana, in tractu superiore; quatuor cubicula, quorum duo satis ampla sunt, culina spatiosa, ac lucida, ambitus item, qui penum meam capiat, ac tecti demum, cellarii, cameraeque lignariae pars competens. Sed anxium me tenet adhuc adhaerens tamdiu Suprema Resolutio Regia de Jubilatione mea. Valetudinem satis restitutam nolo iam amplius periculo exponere. Alioquin, vel sine Scholarum incommodis, hyemis rigor, mihi semper iniquus me satis probabit. Intelligo Deos Budenses insidias mihi struere, opinionem de me depromisse; vt, si conualuero serius, iterum ad Scholas redeam, ad mitius tamen officium, Directoratum cogitant. Sed hoc puto de stylo tantum esse. Nam et Magyrius, ita ad quietem missus est. Praeterea leuat sollicitudinem meam Concurrentium pro Directoratibus et frequentia, et potentius patrocinium. Viennenses denique Dii Maiores, qui mihi dudum quietem optant propter Literaturam Hungaricam, vt fortiter confido, ab hac me molestia etiam restitutum plene liberabunt. Hoc incommodi habeo tamen in suspenso hoc statu quod nec salarium, nec pensionem lenare possim. Re superata sciam demum, pro quo tempore quid et neglecti salarii et pensionis titulo sim accepturus. Interea viuendum tamen est. Quam sum Tothio obstrictus, quod non plane egeam! Jam habe et illud, quo sim animo Rákosini exceptus. Benigno, vsque ad meam admirationem, vt nunquam antea. Quinque diebus commoratus perpetuos expertus sum fauores, ipsas adeo blanditias, quandam etiam venerationem. Sensi haec venire a Sómogyii

Protectione. Intimior coniunctio nostra, tametsi clara, nihil prorsus offendit. Tu quidem non habes, quod vel speres, vel metuas; puto tamen magis expediens futuram, si a feruore tuo remittas. Homo, etsi vehemens, boni tamen ac placabilis est animi. Exarmatur obsequio. Habes vel ipse in te huius flexibilitatis experimentum Graneri victus obsequendi studio. Solatus sum Juuenem, qui te sibi reconciliato mirum in modum laetatus est. Nominis tui diem praeuenimus multis amicis comprecationibus cum Tóthio nostro ad priuatam coenulam, satis madentem vino etiam de meliore nota. Solemni autem prandio gauisi sumus Rákosini, quo tunc iam secundo excurri cum Tóthio ad valedicendum Episcopo, Jaurinum redituro. Sed quae nobis eo die ignaris imminebat deploratio? Denisium amisimus! Non ille viuens potuit adplaudere Jesuiticae tuae Bibliothecae. Quam indignor temporum iniquitati, quae editionem moratam est! *Saltem cineres sacros solare quantocyus.*¹ Quod mihi efficiendum mandasti apud Mártonfium, curabo his ipsis diebus. Nondum potui vel illi rescribere. Res meae, adhuc incertae, tenebant calamum. Et hac de causa te quoque tandiu literis meis fraudatus sum. Iam me taedet longae morae: scribo, quae scribi possunt. Sed de Mártonfio non tibi spondeo omnia. Eius delicias in literis fuisse, atque esse nunc etiam, certum quidem est; sed auctoris tamen nomen admodum timidè refugit. Quae elucubratus est, sunt pleraque carmina fugientia, sensu teneriore scripta, quae proinde contumelata esse cupit, nunc imprimis, in ea dignitate, in quanta est. Oblectabatur nugis meis, vtque me ad plura similia incitaret, nequiter sua quandoque produxit. Quomodo mecum luserit, elegantioris litteraturae aequus ac diligens aestimabor, collige ex ipsis eius verbis quae ex epistolis excerpta tibi partem satis magnam sisto, ut eius suavitate magis capiaris amicumque mihi animum penitius pernoscas: »Későn felelek. Meg engesztellek talám, ha igazán megvállom, hogy késedelmemnek fele oka ugyan sok hivatalbéli foglalatosságom; de más fele a' sok mulatság, 's vig élet. A' mit ti Tudósok tanétatok, azt mi nem ritkán gyakoroljuk; a' miért siránkoztok, azzal bírunk. Tsoda e tehát, ha keveset írunk? Jobb is úgy. Mert hol vólnának másképen ama sok szep *tristium*, 's több a' féle gyönyörű panaszok, ha a' Tudósok boldogok 's gazdagok vólnának? melly sok szép vers, melly sok szép könyv nem vólna úgy e' világon! Eztet ugyan tréfának véled; de még sem tagadhatod igazságát.« Vides, quam acerbe iocetur, homo, cum dulcore tamen, crudelis. *Sic vos estis Infulati*. Non miror et Fengerum aliquando sic fere mihi amare insultasse in dandis suis muneribus, frequentibus quidem, sed semper modicis: »*Ich gebe dir immer wenig. Man muss den Vogel nicht überfüttern, dass er immer fort singe.*« Sed redeamus ad Mártonfium: »Tudtam, 's érzettem is, hogy élsz még.« Haec ille ad *Odulam meam*² quam in fine leges. »Láttam, 's olvastam igyekezetidet a' Tudós Társaságnak fel állítására; vettem még 1790-ben

¹ »Vigasztald meg mielőbb Denis szent hamvait!« Imádkozzál érte. Mily vallásos érzület ri ki több helyütt Révay keserű tollából is.

² Révay a levélhez csatolt kis ódáját érte.

verseidet; neved nélkül jött irásodat is meg esmértem; meg esmértem szívedet, midőn a' Koronáról irt munkádat vettem. És még is hallgattam. Tudjad tehát, hogy akkor szomorú voltam, 's a' változások, költözések, 's országos dolgok igen gyötörték. Féltam azért írni, nehogy hirtelen, akaratom kívül is Poéta legyek. Tudod e azt is, hogy haragudtam reád, úgy a' mint én szoktam reád haragudni; hogy némelly futóverseimet gyűjteményedben nevem alatt kiadtad? még pedig Deák fordítással! Habes ita in Appendice ad Elegos meos Hungaricos, Révai Miklósnak elegyes Versei, pag. 257. Erre azt mondod: meg kellett volna inkább köszönnöd, Barátom! Igen is, ha valami jobbat adtam volna kezedre, 's azzal nagyobb becsületet szerzettem volna néked is, magamnak is. Lehetett volna is talám: de megérted okaimat, miért tartóztatom magamat attól is, a' mit úgy kedvellek, és tsak alattomban némellyeknek, a' kik érzik, némellykor valamit írogatok. Előre láthatod, 's láthatom ugyan, hogy én soha olly nagy Püspök nem lések, mint *Godeau, Huet, Bornis*, 's, a.' t. scribit haec iam Episcopus Serbiensis; de még is ezeknek udvari éltekben pendétett vig verseiket ma is szemekre hányja a' gonosz világ. Emlékezel, hogy bánt a' *Nyájas Músával*, s veletek mindnyájan, sőt talám velem is miattad, ama' *Leo non capit muscas*, vagy is inkább az az Angyal, a' ki ezen számárnak szájával szóllott? Intelligis vtque Angelum Ecclesiae Agriensis. Tudod, hogy sok illyen Angyal van. Ezeknek mesterséges üldözések megfojtják igyekezeteket még böltsőjében, 's mi, a' kik állapotunkkal, 's példánkkal is talám valamit a' jó dolgon segíthetnénk, kénszerétetünk lappangani, 's a' mit lehet, mintegy nem tselekedve tselekedni. Vult nimirum, cum singulari prudentia, et prouehere ineundum literaturae negotium, et latere tamen, ignotusque esse crabronibus praepostere feruidis. Laudat itaque me ad stimulum, quem dixi, scitus artifex. A' nékem küldött munkádat szokott hálaadással vettem, 's más Tudósoknak kiosztogattam. A' Deák munkádat tsak most esmértem meg, és jobbáknak találom sok e'félénél; de a' mint a' Poétákkal, s' Orátorokkal szokott történni, néked nagyobb dicséretedre szolgálnak, mint azoknak, a' kiket dicsérsz; azok előtt tudni illik, a' kik mind tégedet esmérnek, mind azokat. *Az Imádságos könyvedben igaz Szentség is látszik, melly Révai mellett is elfér, 's igaz Magyarság is.* De isto Precatorio meo Libello vix scies aliquid, et admiratio te rapit fortasse, memorem illius, quod Janus Pannonicus cecinit; nemo Religiosus, et Poeta. Sed vides, quis et hic sim vel Episcopi testimonio. Mouit etiam Fenglerum Administratio Parochiae Téthen-sis per tempus aliquod. Auch hier bist du zu brauchen: du wirkst schon Miracln. Sed pergit me laudare Mártonfius meus. Már, a' rész szerént eredeti, rész szerént fordított Szép Magyar verseidről, mellyeket velem közlöttél, mit mondjak? Ezek előttem új bizonyági szép elmédnek, és szívednek: és ha ezeket ki nem adod (ki vévén, a' mi engemet illet) én talám valaha ki adatom. Szenvedsz ezekért, és szenvedni fogsz; *de eljő az idő, melyben az értelem és a szív, a' balgatagságon győzedelmeskedni fog!* Et vide, quae so, quomodo me homo elegantissimi ingenii plane etiam exemplis suis reducere contendat. Fere iam super-

bio, tam aliquid singulare a me sperati, ut his artibus elegantiarum inducendus existimer. Nem ok nélkül mondom ezt: mert én is szenvedtem némely apróságokért, és talám többet fogok még szenvedni. Ambár titkon, 's tsak az Érzőknek szoktam némellykor írni; de még is történt hogy kaján szemekre akadván némelly apróságim, káromra voltak. Ha eszembe jutna, tennék ide néked azok közül valamit. Jól van! ime egyetske.

TEPLOMI GONDOLATOK.

Mennyeket ha képzelem földi házádba, Teremtőm!

A' szerelem' szárnyán szívem az égbe ragad.

Ha pedig egy szemmel a' szép Dórisra tekétek:

Ismég, ah! ismég a szívem a' földre ragad.

Mit tegyek? ég 's föld közt két részre szakaszszam e szívem?

Ah! nem: tsak jőjön Dóris az égbe velem.

Még egyetske. *Egy szép kép alá való Irás.*

Kartsu, furtsa, nyájas, vidám tekintete,

Virág szálhoz ütött eleven termete.

Tsillag Szeme alatt rózsát nyit ortzája,

Kéjbe mártott állán tsókra készül szája.

Gyönggyel vetekedik mosolygó ajaka.

Havat gyöz lágý mellye, sima márványt nyaka.

Tsinos minden tagja, az egész teste ép,

Kartsu, furtsa, nyájas. Oh! be kár, hogy tsak kép!

Ezeket, 's e'félüket némellyek történetből meg tudván, a' kik e'féle vétkektől írtoznak, 's *ezeknél nagyobbakat elkövetnek*, (hic mihi succurrit Pecus Bakonyiense), bizonyos tudva lévő környülállásokra magyarázták, 's már — — — de semmi — — — lehet hallgatni is. Vel ex his satis clare conicere potes: quid fere sim ab eo in rem tuam impetraturus. Sed experimento doceamur tamen, tentabo certe. Vides, quam abunde compensem fusissima hac epistola meam sribendi tarditatem. Jam fatigatum reputo lectione. Quam me beatum redderes, si hanc iniuriam vicisci pergeres epistola aequae proluxa. Nondum cesso. Odulam subiicio supra promissam.

NAGYSÁGOS MÁRTONFI JÓSEF ÚRNAK.

1788.

Ime még élek, magam is tsodáiom,

Hogy lehet bennem mi kitsiny lehellés,

Földbe se tért még nyugalomra testem,

Élek epedve.

Üldözés, bódult fejek' üldözésök,

És kaján mérgü fogak ostromolnak:

Veszteget bánat, ki fogyaszt erőmből,

'S dönt beteg ágyba.

Hol vagy, o Orvos! ki segíteni tudnál?
Szent Barátságának vagyon e' hatalma,
Hogy kesergésben el epedtnek újabb
Életet adhat.

Mint az ájulás hamar a' betegben
Balsamom' közlött erejére szűnik:
József! úgy oszlott nekem is keservem
A' te szavadra.

Illustrissimo Domino Praeposito et Episcopo Csapodi memora me gratum esse pro beneficiis in me collatis, et sacratas manus deuote exoculari. Reueror Spectabilem Dominum Carolum Csapodi, eiusque Consortem, Matronam lectissimam. Zircenses item Sanctos Dei, praeprimis Patrem Priorem, Subpriorem, Rochum et Clementem. Nimium me obstructum sentio Viris Optimis ob liberale hospitium mihi diu acc saepius dulciter praestitum. Adhuc oblector Patris Daudis obseruatione: *pulchrum nempe esse, ac iucundum in societate humana, duas habere aures, sed unam tantum linguam.* Saluto praeterea Adm. R. Dnos. Franciscum Nagyium, Vargam et Barnam, Dominum item Jursitium. Sokkal tartozom, és meghálálni igyekszem szorgalmatos gondolkodását a' te Hív Tertsádnak, Gazdaságod Oszlopának, a' Takarékoság Ritka Példájának, a' Tsinosság Fényes Tükrének; de ha tseléded és embereid hivtelenségek miatt fel fordul valami házadban, 's faludban, Vékonyan visető haragos Ördögötskének is. A' Katitzám is köszönti és tsókolja ezerszer, hogy beteges Urát olly szép egészségben botsátotta haza, a' millyenben még soha nem esmérté, mióta nála vagyon. *Mert már rózsátskák is nyílnak tellyesedő artzáján.* Quam mihi prodest quies! Sed hoc Budenses non audiant. Ceterum non multum fido: Omnis caro foenum est. Vale, et me ama. 26 Octobr. 1800.

Suauissime Michael!

Quando tanto iam duceres elegantiarum amore; ut eas, in quocunque hominum genere repertas, demirari, ac deoculari pergas: mitto tibi copiam epistolae Tumpacherianae, cui similem frustra posces vel a totius Hungariae Professoribus Theologis. Spirat illa mirificum in me Optimi Viri amorem, quo immensum recreor; sed etiam suauitatem prae se fert a nitore, illo certe Romano, qua non possum non oblectari. Id doleo, Amicum suauissimum, praeter hanc elegantiam, aliis etiam dotibus insignem, ab Episcopo tamen non modo non aestimari, sed etiam premi iam satis dudum. Quod mirare a foemella arrogante effici potuisse, cui iste parum honoris videbatur exhibuisse, homo tetus literis deditus. Illa malesana *Scrofa*, cuius tu mihi molas duas, patrimonii beneficia, in curru lepide explicasti, *alteram ad fontem Turgó, alteram ad Durgó*, tantum potuit malorum creare. Incipe Virum tua beneuolentia prosequi.

Josephi Tumpacher, in Lycaeo Jaurinensi, Scripturae Sacrae, et Linguae
 Hebraeae Professoris, Epistola ad Joannem Nicolaum Révay.
 Iosephus Nicolao Suo Suauissimo Salutem.

Gratissimae licet semper mihi sint litterae tuae, nullis tamen sic delectabar, ac vltimis: quia e mortis faucibus ereptum esse te, seruatumque amicis, nunciabant: quo quidem nihil mihi iucundius potuit contingere. Alterum, in quo pariter Dei laudabam prouidentiam, est Illustrium in te Virorum insignis beneuolentia, firmaque Amicitia: qui rebus afflictis tuis tanta humanitate ferebant opem. Rara, ut ipse animaduertis, haec virtutis exempla sunt; verum minime miror, si talia contingant tibi, cuius animi mentisque insignes dotes perspectas habeo. At id non mirari non possum: quomodo, vix vitae discrimine solutus, et cum molestis morborum reliquiis adhuc colluctatus, rerum etiam tuarum pressus curis, incertisque adhuc sedibus haerens, tantam versuum copiam, modico adeo tempore, summa cum perspicuitate, nec minore cum suauitate concinnaris. Hic certe, si vnquam alias, ostendisti perspicue: vt in ceteris, sic hac quoque in parte facilitatem tibi esse prorsus peculiarem. Pro his igitur gratias tibi ago, quas possum maximas: Virorumque, quos dignis celebrasti laudibus, nobiles virtutes perenni colam memoria.

Ad haec autem omnia accedit et illud, quod memini tibi semper fuisse in votis: libertas scilicet a publica molestia, quo literis vacares liberius: euenit tandem, rudeque donatus, obtentaque multi laboris aliquantula licet mercede, non sine laude deseruisti arenam. Si bene te noui, amicorum suauiissime! iucundissima haec erit pars vitae tuae. Quae enim tua est in instituenda iuuentute dexteritas, modo ipse velis, nunquam tibi Sopronii deerunt illustri loco nati: quos, vt nunc factum est, laudanda sollicitudo Patrum porro quoque committat tibi. Erit igitur occasio horas aliquot non sine emolumento impendendi aliis: erit et dulcis spes, teneros animos sic imbuisse, vt olim prosint Patriae. Reliquum autem grauioribus negotiis impendes; et, nunc noua meditatus, nunc veteres thesauros, quos, aut in Patriae, aut apud exteros collegisti, in ordinem disponens in publicum proferes. Haec alias etiam saepius mente reuoluens, literarium otium, longamque incolumitatem optabam tibi. Partem vnam nunc impletam gaudeo, tibi que gratulor: alteram autem indesinenter tibi precor, sed hac inprimis occasione, vbi nominis tui festum ardentius haec vota accendit: quod vt per reliquam vtinam longissimam vitam! laetus, beatusque agas, maiorem in modum cupio.

Aichardum, fidelissimum Episcopi nostri comitem, die Praesentationis, 21 Novembris, apoplexia, nemine conscio, nobis eripuit. Vir erat, vt nosti, qui sic vsus est fortuna, ut maior esset in aduersis, quam prosperis. Id peculiare illi contigit: vt, qui dies illi erat Natiuitatis, et Professionis, idem esset et mortis. Vale suauiissime! Dabam 5 Decembris 1800.

43.

Nicolaus Michaeli Suo Salutem et Felicitatem.

De iubilatione mea nunc demum certiosem reddiderunt suavissimae Sumogyii literae, eo ipso die, 27 Decembris, ad me datae, quo Altissima Resolutio ab Aula ad Cancellariam transmissa est. Vides Viri singularem in me affectum; qui me, diu suspensum, expectatione iamque non modice et anxium, ut solatio lenaret, ne momentum quidem temporis neglexerit. Decreti sunt itaque mihi recenti illi floreni annui ex Fundo Studiorum, quos Consilium proposuit. Vivant! qui mihi hoc in negotio benigniores fuerant. Scis Auctorem primum: huic quam me gratum esse oporteat, sentio equidem, sed verbis explicare nequeo. Scripsi illico Budam, Petsõni, Szuneritsio, et Klobusitzkio; ut mihi fauerent quantocius factus etiam Ordinibus de leuanda ex Tsornensi Cassa Filiali et pensione imposterium, et salarii parte residua. Habes itaque et tu quod scire auebas pro tua de rebus meis amica sollicitudinem. Jam praesta, quod te facturum spondebas literulis per Illésium missis, scripturum te amplius, ubi de iubilatione mea certiora te edocuero. Gaudebam nugas meas tam tibi iucundas fuisse, ut multum etiam riseris, et Illustrissimum Csapodium non modice recreaueris. Sed vae mihi a Theresia. Placa mihi ipsam, si quid aegrius tulisset in illo ioco innocenti. Multum illi debeo pro diligentissima mei cura. Gratum me certe experietur, ut primum commodius stetero. Nunc oeconomio lae meae ardua sunt initia. Etiam de Denisio tuo plura te alias scripturum addebas. Exspecto et haec quam avidissime. Commendabas mihi valetudinis curam, praeterea ut etiam moderate laborarem. Hoc quidem alterum facere debeo perpetua Herulorum interpellatione; immo plus facio, quam quod tu volebas, qui vix aliquid laborem. Hoc doleo, de Denisio quae coepi scribere, ea me non potuisse perficere, primo illo doloris aestu. Nunc iam totus languedo, tussi iterum acerba diuexatus, ut hyeme soleo. Defatigor etiam cura puerorum. Elegiam ad te coepi de Denisio. Perduxi ad viginti quinque distica. Reliqua addam tamen, ut primum licuerit, et tua, et illius immortalis Viri gratia, cui tu in amoribus fuisti, et quem ego quoque multum suspexi.

Cur animam dulcem, meritoque, pieque requiras:
 Si quem, te certe plurima caussa monet.
 Eheu! non est iam: quo tu duce, ad ardua tendens,
 Pulcro coeptabas omine laudis iter.
 Huic tu deliciae fueras, et sedula cura,
 Aeri, atque illustri viuidus ingenio.
 Felix indicio, tantoque beatus amore:
 Sors tua quam multis inuidiosa fuit!
 Nestora tu propius demirans, melle fluentem,
 Coelestem hausisti largiter ambrosiam.
 Hinc tibi etc. etc.

Exortus autem sic sum:

Cultor Musarum, Michael' quod me quoque Diuae,
 Phoebus et ipse Pater blandius adspicerent,
 O! dulci dudum mihi consuetudine iuncte,
 Praeses, tuque meae Censor amice Lyrae!

Quis te moeror habet, quis acerbus cordis amaror,
Lugentem chari funere Denisii?
Obruit hic subitus te rumor, fluminis igne
Saeuior, ereptis sensibus attonitam.

Interserui et tuam etc. Bibliothecam Jesuiticam :

Creuit in his, qui te gratum labor vrsit alumnum,
Conscripta excubiis Bibliotheca tuis :
Quos complexa Viros ! doctrinae Lumina quanta !
Florentis quondam Membra Sodalitii.
Tantum opus in lucem proferre, heu ! tempus iniquum,
Muneraque, ingratae caussa molesta morae,
Non illo te sinerunt viuenté, etc.

Exspecto, quid ad hanc tuam Bibliothecam, collaturus sit Mártonius noster, cui pariter hodie scribo, rem meam iam certam esse, atque alia.

Praecor te, et nouum annum et nouum seculum feliciter auspican-tem, quam diutissime prospere ac beate viuere. Szerentsés új esztendő kévának a' Trézsi Nénikének is minden testi és lelki javakkal egyetemben. Köszönöm körülöttem való gondoskodását.

Adiui tuos cum herulis nouum annum precatus. Bene valentes reperi omnes. Soror non pridem conualuit ex affectionibus gutturis. Dixi me scripturum ad te : salutem tibi dici voluerunt, quod praesto.

Illustrissimo Domino Episcopo Csapodi manum osculor. Nepotem, huiusque Coniugem reuereor. Saluto Vargam, et reliquos mei bene memores. Fratres item Zirtzenses omnes reuereor, quorum beneficia in me collata grata et perenni persequor memoria.

Vale quam optime, et me tui amatissimum et porro ama. Sopronii 1. Jan. 1801.

Melléklet a 43. levélhez :

FUTÓ GONDOLATOK.¹

Kérdés: *Mikor kezdődik az Új Század ?*

Ez egész Esztendő, már új Század leszen,
Annak minden napja, században részt vészen ;
Az utolsó olyan, mint az Első benne,
Mert az első nélkül utolsó sem lenne.
Mint a Nap fel vagyon osztva több Órákra,
Úgy három száz és még hatvanöt napokra,
Osztjuk az Esztendőt, de a ki elérte
Annak első napját, már Új Század Élte !
A ki ha most meghal, meghal Új Században
Am bátor meghalljon Januariusban.
Lám ! ki szerdán meghal, reggel hat Óraker,
Szintugy szerdán hal meg, mint ki tíz Óraker !
Ekép gondolkodgyunk egész Esztendőről,
Századot számláló napoknak részéről.

¹ Révay ezen költeménye nincs ugyan a Paintner által számozott levelek között, de kéziratárunkba valószínűleg Paintner révén került. És mivel a főnnebbi levélben boldog új századot (nouum seculum) kíván; ide legalkalmasabbnak tartom.

Ha pedig a' Század tesz egy Székulumot
 A mostani teszi a századi számot,
 És evel kezdődött az új Székulum is,
 A mint evel múlik előbbi Század is.
 Székulumra nézve a Század esztendő
 Olyan, mint Földek közt tétetett Határkö,
 A mely midőn határt tesz az egygyik Földnek
 Jelensége is, a más Föld Kezdetének.
 Ha az Esztendőnek utolsó napjára
 Várakozunk, ugymint Század határjára
 Nem lenne Században része több napoknak,
 Van pedig szintén úgy, mint az Utolsó nap.
 Mert nem egy Napból áll az Egész esztendő
 Többel telik s folyik szüntelen menendő.
 Hogy egygyel kezdődik minden számolásunk,
 Az csak annyit tévesen, hogy az Új Századunk
 Fel tetszvéen, utánna megint egygyel élünk
 Még jövő Századdal meg Új Századot érünk.
 Végre, vagy Új Század, a melyhez most kezdünk,
 Vagy az előbbeni, mellyen már át estünk?
 Hogy nem előbbeni, a Számja mutattya,
 És így Új Századnak lenni bizonyítja,
 Ha pedig Új Század, már Új Székulumba
 Vagyunk, s újba lépünk mindenik Századba.

Ellenvetés.

Nemde egyszáz Forint, Százal tellyesedik?
 És még a Századik hozzá nem tévődik,
 Nem lesz az Száz Forint! Szintígy végső napján
 E századnak, lézünk a' Század határján.

Felelet.

Olvass vissza Századot, az Első Forintig
 Rák módra hátrálván egész az elsőig:
 Nemde nem lesz az száz, első Forint nélkül?
 Mert ez, mint utolsó szintígy belé kerül?
 A mint egy tsumóba kötvén Száz Forintot
 Mindenik egyaránt teszi a Századot.
 Akár egytől kezdvén olvassad a Százig
 Akár Százától kezdvén, olvasd az elsőig;
 Úgy már első napja Század Esztendőnek,
 Valóságos száma Új Század üdőnek!
 Azért első napja Januáriusnak,
 Első napja is volt az újult Századnak,
 Melly nélkül az Új Száz, Soha Száz nem lenne,
 S utolsó napjával a' Század nem telne.

Közli: DR. RÉCSEY VIKTOR.